9

B. C. D.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
HYDROPE,

Quam

PRÆSIDE

ARCHIATRO SVMMO,
DECRETO ET AVTORITATE
GRATIOSSIMÆ
FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA NORICORVM ACADEMIA,
PRO LICENTIA,
SVPREMOS IN ARTE MEDICA
HONORES AC PRIVILEGIA
RITE IMPETRANDI,
PVBLICO EXAMINI SISTET
H. L. Q. C.

CAROLVS HEINRICVS Schwartze/
Dresd. Miſn.

ad diem VII. *Maji*, A. C. MDCCIII.

Typis JODOCI GVILIELMI KOHLESII.

PROŒMIUM.

MUlti ſunt docti magnæq; famæ Medici, qui hominem microcoſmum appellant, idque propter ſingularem ſimilitudinem, quam inter homines & macrocoſmum intercedere obſervant. Sicuti enim in hoc ſol invenitur, qui orbem terrarum lumine ſuo illuſtrat, calore autem quaſi animat, & ad varias arbores, flores herbasque producendas aptat; ita ſpiritus animales in humano corpore ſunt, à quibus vita, motus, ſenſus, generatio &c. dependent. Aqua, quæ ex mari originem ſuam habet, viciſſimque in illud fluit, ſimilis eſt humoribus corporis humani, qui etiam in perpetuo motu ſunt. Lapides aſſimilantur oſſibus, & ſic porro. Hæc analogia autem, non ſolum ad res ſecundum naturam reſtringenda eſt, ſed quoque ad res præter naturam applicari poteſt. Quemadmodum enim tellus interdum ſubterraneis halitibus concutitur ac movetur: ita & microcoſmus aliquando motibus convulſivis & epilepticis infeſtatur. Quantum macrocoſmo nimius intenſusq; ſolis æſtus, omne quod humidum eſt conſumens, nocet: tantum damnum quoque febres ardentes microcoſmo inferunt. E contrario quoque copiâ ſuâ aqua macrocoſmo maximè noxia eſt, ut hoc exemplum tam univerſalis cataclyſmi, cujus ſacer codex meminit, quam particularium inundationum, de quibus profanæ hiſtoriæ mentionem faciunt, clarè teſtantur. Quid

verò hydrops aliud eſt, quàm diluvium microcoſmi? Et de hoc in diſputatione mea inaugurali pluribus agam. Faxit DEUS Ter Opt. Max. ut id in ſui gloriam ac proximi miſerè afflicti ſalutem cedat!

§. *I.*

EXordior autem, obſervaturus receptam conſvetudinem, ab nominis expoſitione, quod quidem origine Græcum eſt, legitur namque ὕδρωψ, & apud antiquos aliquos Græcos etiam ὕδερος, id verò nomen in Latinam civitatem etiam admiſſum eſt, nam & hîc hydrops ſcribitur. Videtur autem nomen tale derivatum eſſe ἀπὸ τοῦ ὕδατος, ab aqua, atque hinc etiam apud Hippocratem *l. IV. de morbis l. 17. IX. 1. XXV. 34.* item *l. 2. de morbis XVI. 10.* pro ipſo ſero & ichore accipitur. Germanicè vocatur die Waſſerſucht. Quæ circa ſynonymiam & homologiam porro annotanda forent, petantur ex philologorum ſcriptis: mihi enim illa compilare haud vacat, quin potius ad rem ipſam propius acceſſuro, definitionem ſtatim apponere placet ſequentem: Hydrops eſt præternaturalis collectio & ſtagnatio ſeri, aut in toto corpore, aut tantum in certa cavitate, aut parte una, aut pluribus ſimul, ex qua ſtagnatione notabilis, non tamen inflammatorius, tumor oritur.

§. *II.*

Ex hac in medium allata definitione perſpicuum eſt, hydropem ratione ſubjecti patientis variæ ſpeciei dari: Quandoque enim pori partium totius corporis ſero explentur, quod vitium ſpeciali nomine hydropem anaſarcam, leucophlegmatiam vel Latinè aquam inter-

intercutem nominant: quandoque talis tumor aquoſus in una tantum aut altera parte corporis, v. g. in muſculis & cute capitis, pectoris, abdominis, ſcroti, manum pedumve obvenit, & Oedema dicitur. Quandoque verò, uti jam dictum, ſerum in certâ quâdam vel præ exiſtente, vel demum inde efformata, cavitate colligitur. Sic enim quibusdam, imprimis infantibus ſpatium inter integumenta & pericranium, vel inter cranium & menynges p. n. ſero impletur Hydrocephalumque conſtituit. Nonnunquam idem tantum in thoracis alterutro latere ſecundum *obſerv. Heurnii hiſtor. VI. XIV. & XVIII.* interdum verò in utroque ſimul, imo & in capſula, quæ cor ambit, præter naturam colligitur, ex quo hydrops pectoris & pericardii oritur. Sæpius aqua intra Peritonæum coacervatur, quâ abdomen intumeſcit, ac hoc genus hydropis Aſciten vocant. Porro in viris haud rarò ſcrotum & teſtes in tunicarum ambitu aquâ turgent, quod Hydrocelen vocamus. Hydrops uteri & ovarii non rarò obvenit, quando ille vel hoc aquâ inundatur. Huc etiam referendæ videntur Hydatides, ſeu veſiculæ aquâ plenæ, quales frequenter Anatomici in ſectione cadaverum humanorum (ne de illis in brutorum viſceribus ſæpius deprehenſis aliquid dicamus) deprehendunt. Ita Vir Prænobiliſſimus, Ampliſſimus, atque Excellentiſſimus Dn. D. Joh. Mauric. Hoffmannus, in hac Univ. Medicinæ Prof. Publ. celeberrimus, Conſiliarius & Archiater Ducalis Onoldo-Brandenburgicus, Fautor meus ſingularis atque in decurſu hactenus ſtudiorum meorum Dux fideliſſimus, omni venerationis genere proſequendus, ovarii feminei hydatides *Miſcellan. Naturæ Curioſor. Decur. II. Anni V. Obſ. 208. & ejusd. Decur. Anni VI. Obſ. 164.* partum mendoſum hydatidum annotavit.

Porro notabilis eſt hiſtoria, quam recenſet Mauritius Cordæus *in Hippocr. lib. 1. de morbis mulierum Comment. V. p. m. 315.* In mulieris enim hydrope, ut omnes crediderunt, demortuæ cadavere, nulla capacitas, hoc eſt, nihil cavi in eo deprehenſum eſt, in quo veſica non pependerit ſecundum geometricam omnium dimenſionem loco coæqualis, ac conformis ei, qui ſuo ambitu ipſam contineret. Cyſtes iſtæ pendulæ aqua citrina, non tamen fœtente repletæ fuerunt. Etiam hepar iis tectum, & oppreſſum fuit; adeoque totus lien.

§. *III.*

Jam verò, ſi veteres Medicos evolvamus, & ex illis ſcire deſideremus, quamnam hujus periculoſi morbi proximam & immediatam cauſam agnoſcant, experiemur, quod ſimul omnes hepar accuſent, veluti intemperie frigida laborans, locoque laudabilis, balſamici & ſpirituoſi ſanguinis copioſam tantummodo & inutilem aquam elaborans. Attamen quoniam multis nunc demum obſervationibus & experimentis ſatis demonſtratum eſt, hepar non officinam αἱματώσεως, i. e. ſanguificationis, ſed bilificationis eſſe, epar dicta ratione non poterit accuſari veluti cauſa efficiens proxima, etſi in hydrope quandoque vitium aliquod organicæ conformationis in epate concurriſſe viſum fuerit, nempe ſcirrhus aut ulcus, quod tamen perpetuum non eſt, quin potius multa inveniuntur exempla, ubi hydropicorum hepar illæſum & ſanum, morbus autem tam validus fuit, ut ægrum vita ſpoliare potuerit. Vid. Helmont, *Tr. Ignot. Hydr. n. 10. & ſeqq.*

§. *IV.*

In enarrandis & refutandis aliorum authòrum opinionibus non morabor, ſed ſtatim dicam, quid veri-

ſimile

ſimile mihi videatur. Ex Phyſiologicis ſatis conſtat, lympham copioſam chylo ideo affundi, ut magis fluidus redditus exiles venarum lactearum canales & poros glandularum in meſenterio ſitarum faciliùs permeare queat; ſed adducto per ductum thoracicum chylo in maſſam ſanguinis ſuperfluum chyli ſerum non ſolum in tubulis rerum à ſanguine ſeparari, per ureteres in veſicam derivari, & ſub urinæ nomine excerni, ſed etiam vi motuq; cordis exiguas per glandulas, quæ ſub cute occultæ latent, (ideoque ſubcutaneæ miliares dici ſolent) tranſcolari, expelli & inſenſibiliter in auras abire, quando videlicet dictus cordis motus non adeo vehemens eſt; quando autem aliqua alia de cauſa intenditur & acceleratur, ſcimus, hoc ſerum copioſius ex cutis poris ſcaturire, vulgoque ſudorem nominari. Notandum inſuper neceſſariam quandam lymphæ portionem remanere in corpore multiplici uſui deſtinatam, eamque modo à ſanguine per glandulas ſecerni, modo eidem mediantibus vaſis lymphaticis & aliis viis iterum affundi & miſceri.

§. V.

Adeoque nemo negare poterit, hujus ſeri motum, ſecretionem & tranſcolationem vario modo retardari ac impediri poſſe, ut hoc deinde extravaſetur, & aut in toto corpore aut ejusdem certis cavitatibus & partibus præternaturam collectum & coacervatum hydropis cauſam proximam conſtituat. Primum enim ſerum motum ſuum non à ſe ipsô habet, ſed ille à cordis motu dependet. Qualis igitur motus cordis eſt, talis ſit etiam motus ſeri neceſſe eſt. Si igitur motus cordis eſt tardus & languidus, ſerum quoque tardè movebitur.

tur, imò & penitus hærebit & ſtagnabit. Porro organa ſeri ejusdem ſecretoria aut male conformata eſſe, aut aliis caſibus depravari queunt. Tubuli tandem renum ac reliquæ glandulæ omnes à ſerô impurô obſtrui poſſunt, quando idem non ita ſe habet, uti in ſtatu naturali eſſe ſolet & debet, quod quidem accidit, cum intenſo febrium æſtu & inflammationibus aut alio modo inſpiſſatum aut ſanguinis grumis aut pure coinquinatum eſt.

§. *VI.*

Ex dictis autem facile quilibet concludet, quòd mediatæ cauſæ hydropis variæ eſſe ſoleant: In quotidianâ praxi obſervari ſolet, quod hydrops non ſolum poſt ardentes & malignas febres, ſed etiam poſt tertianas & quartanas febres, niſi benè curentur, oriatur. *Vid. Riverii obſ. 82. Centur. IV.* Cum enim febres deſiverunt, ac ægri pedibus uti incipiunt, primum quidem plantæ pedum tumeſcunt, deinde autem tumor in tantum excreſcit, ut vix in lectô ſe movere poſſint. Ubi febris hectica & ulcus viſcerum, pulmonum, hepatis aut renum adeſt, hic quoque morbus communiter præſto eſt. Hanc ob cauſam phthiſici plerumque ſupernè exſiccantur, infernè autem aquis intumeſcunt.

§. *VII.*

Omnes evacuationes, quando nimis copiosè ac immodicè fiunt, hydropem excitare poſſunt, e. g. hæmorrhagiæ narium, vulnerum, hæmorrhoidum, menſium & lochiorum fluxus nimius, crebræ ac copioſæ venæ ſectiones & ſcarificationes, diuturnæ diarrhœæ, dyſenteria, mictus cruentus, & hypercatharſes. Supra enim enarratis morbis & perperam inſtitutis fortioribus

ribus purgationibus portiones ſanguinis ſpirituoſæ balſamicæ abſumuntur, naturales vires non parum minuuntur ac infirmantur, hanc quoque ob cauſam cor, quantum opus erat, moveri, ac humores propelli non poſſunt. Porro quoque coctio ſtomachi impeditur, locoque chyli laudabilis pituita mera ac variæ cruditates in maſſam ſanguineam derivantur, quæ in anguſtis poris renum ac glandularum hærent, ut neque ſerum excerni neque circulari poſſit.

§. *VIII.*

E contrario quoque excitatur hydrops, cum conſuetæ evacuationes ſuppreſſæ ſunt. Ita, quando in Iſchuriâ urinæ fluxus vel à ſpasmô vel à calculô renum inhibetur, hydrops ſequitur. Si fluxus hæmorrhoidum aut ſtudio aut forte ſuppreſſus fuerit, æger propter imminentem hydropem in haud exiguô verſatur periculô, uti hoc *Hippocrates* jam ſuô tempore obſervavit: hinc eos, qui hæmorrhoides curaturi ſunt *Aphoriſm. 12. lib. VI.* admonet, ut unam ſaltim apertam ſervent, quod alias phthiſis aut hydrops ſit metuendus. Sic quoque ſuppreſſis menſtruis purgationibus fœminas hoc malum, potiſſimum autem hydrops anaſarca impetere ſolet. Quô modo & quâ causâ hoc fiat, fortaſsè quibusdam difficile explicatu videbitur, quid tamen ego ſentiam, hic aperiam. Quando natura, aut rectius ſpiritus noſtri corporis ſuperfluum ſanguinem certo quodam loco corporis evacuare conſueverunt, deinde illum ſtato tempore ſemper ad deſtinatum locum propellunt. Dum autem viæ excretoriæ obſtructæ ſunt, & ſanguis exitum ſuum invenire non poteſt, primo ſtagnat, grumeſcit, ac tandem in venas regur-

gitat. Grumi autem lege circulationis in tubulos renum & aliarum quarumcunque glandularum delati ibi obſtructiones gignunt. Quia autem quoque ſuperfluus ſanguis non educitur, copia ſua calorem nativum opprimit, quo via partim hydropi, partim aliis morbis, qui hydropem concomitari ſolent, ſternitur.

§. *IX.*

Quid animi conturbationes, triſtitia, & mœror hûc conferre poſſint, ipſe in muliere expertus ſum. Hujus enim infans per imprudentiam cujusdam aurigæ vitam amiſerat, qui caſus matri, ut facilè conjici poteſt, animi dolorem inſignem effecit, primoq; ei febrem, & poſtea hydropem concitavit, cum antea non haberet, de quo conquereretur.

X.

Qui potum amant, & ebrioſitati dediti ſunt, tandem utplurimum hydropem pro ſpolio Bacchi reportant. Imprimis vina generoſa & aſpera novella, nec non ſpiritus vinoſi ac inebriantes absque modo hauſti, ſolent imprudentibus ſuis amatoribus hunc morbum conciliare, dum nempè æſtum excitando ſpiritus disſipant & totum corpus enervant, vel ſitim excitando homines ad largiorem potum irritant, vel liquoris gaſtrici activitatem ſupprimunt. Hoc tamen non ſolum potus generoſus & ſpirituoſus cauſatur, ſed etiam aqua præſertim frigida, quæ ſine ratione ingurgitatur. Exemplum *vid. in Miſc. N. C. Decur. I. Ann. 6. Obſ. LII. pag. 85. conf. & River. centur. 2. Obſ. 65. Panarolus* etiam narrat, quod quidam, qui ante prandium ſemper frigi-

frigidam bibere ſolitus fuit, tandem hydropem ſibi conſciverit. Fortaſsè in Indiis ideo hic morbus, teſte *Jacobo Bontio familiariſſimus* eſt, *quod homines male ſervata victus ratione potum Arac*, (ſpiritum vinoſum) *ingurgitent, quo hauſto, ebrioſi calefacti ingentem aquæ copiam in ventriculum ingerunt, ut conceptum æſtum reſtinguant, deinde humi, tanquam pecudes, procumbunt, & in navibus ſe rori exponunt, vid. laudati autoris methodum medendi Indic. cap.* 7.

§. *XI.*

Aër quoque non parum conferre poteſt, quando humidior, frigidior, aut calidior eſt. Frigore enim inſenſibilis tranſpiratio impeditur, pori cutis conſtringuntur, & ſerum coagulatur. Calore verò immodico ſpiritus disſipantur, ut ante dictum, & ſerum inſpisſatur, unde obſtructiones pasſim glandularum naſcuntur, quæ lymphæ motum progresſivum in vaſis lymphaticis ſufflaminando, horum infarctum demumque rupturam ſecum inferunt.

§. *XII.*

Quam variæ autem hydropis cauſæ ſunt, tam diverſa quoque ejus ſymptomata notantur. Ut plurimum enim febris hectica aſſociat ſe ei, quæ ab inflammatis, exulceratis, aut alio modo male conſtitutis viſceribus originem habet, dum nempè purulenta materia cum ſanguine miſcetur illumque fœdat, quo deinde ſpiritus exacerbantur & lenis naturalisque calor in conſumentem æſtum immutatur. Hinc vires ægrorum in dies debilitantur, ut neque manibus nec pedibus uti queant. Et quanquam dies noctesque affixi

ſint lecto, ſomnus tamen ob ſummam ſpirituum inquietudinem eis rariſſimus eſt, præterquam in hydrocephalô, quippe cui perpetuus lethargus conjunctus eſſe aſſolet, quod in pueró ſeptem annorum ipſe obſervari.

§. XIII.

Vitalis faciei color & totius corporis in pallidum & cadaveroſum mutatur. Et quantum appetitus ciborum minuitur, tantum ſitis augetur, & quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ, quod utique mirandum, quoniam quaſi in mediis undis ſiti torquentur, eisque accidit, quod Tantalo, de quo poëtæ fingunt, quod quanquam capite tenus aquis immerſus ſit, in pœnam tamen facinorum ſuorum perpetua ſiti crucietur. Hujus vero ſymptomatis cauſam, ſi penitius paulo rem voluerimus perpendere, facile inveniemus. Sitis enim alias tribus præcipuè de cauſis oritur, defectu nempe, viſciditate & ſalſedine ſalivæ. Omnia tria ſimul in hydropicis concurrere poſſunt. Primò enim, quoniam glandulæ totius corporis obſtructæ, glandulæ quoque ſalivales ab obſtructione liberæ non ſunt exiſtimandæ, itaque os ſaliva non decenter humectari poteſt, præprimis, cum ſaliva, uti omne ſerum hydropicorum non raró exiſtit, viſcida & pituitoſa eſt, imo ſi parum ſalivæ affluit, ſalſum tamen eſt, & ſtatim à febrili æſtu deſiccatur.

§. XIV.

Moleſta quoque tuſſis hydropicos invadit nonnunquam, hâc de causâ, quod peccans in univerſa corporis œconomia acris ſalſaque lympha neceſſario etiam

etiam organa reſpirationis & præſertim laryngis atque bronchi & bronchiorum fibrillas membranaceo-nerveas & carnoſas laceret & irritet. In Aſciticis potiſſimum dyſpnœa obſervatur, quia motus diaphragmatis supernè ab aqua in cavitate pectoris collecta, ac infernè ab aqua in abdomine contenta, impeditur.

§. *XV.*

Ulcera, quæ hydropici aut ante invaſionem aut poſt invaſionem hydropis patiuntur, difficulter conſolidari & ſanari poſſunt, etſi neque curis neque bonis remediis parcamus, cujus *Hippocrates* teſtis eſt, cum *lib. VI. aphor. 8.* dicit: Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι οὐ ῥηϊδίως ὑγιάζεται. Affluxus enim depaſcentis & acris ſeri major eſt & copioſior, quam ut remediis lenientibus & deſiccantibus mitigari & inhiberi poſſit. Vulnera quoque partibus œdematoſis inflicta, in maligna & rebellia ulcera degenerant, quod in quadam honeſta fœmina obſervavi; Hæc in altero œdematoſo pede bina morſu caniculi vulnera acceperat, alterum nempe infra, ubi tumidus, alterum ſupra, ubi non tumidus pes erat. Superius vulnus brevi ſanabatur, inferius autem adeo pertinax erat, ut & aliquando gangrænæ periculum adeſſet.

§. *XVI.*

Cæterum hydrops vel incipiens, vel jam perfectus eſt. Signa incipientis ſunt tumor pedum circa talos ac paucitas urinæ, languor virium, reſpirationis difficultas, facies tumida. Si perfectus eſt, à vulgo etiam cognoſci ſolet. Equidem unusquisque facilè videre & palpare poteſt, quod corpus, pedes & ſic porrò tumeant.

 Sunt

Sunt nihilominus in certo caſu ſigna quæpiam neceſſaria, quorum ope naturale incrementum corporis ab incrementô ejusmodi hydropico morboſô dignoſcamus. Cum corpus naturali modo creſcit, aut pinguius fit, homo indubiè ſanus eſt, ac de morbis aut actionibus læſis non multum conqueritur, colorque faciei floridus exiſtit. Quando autem è contrariô ſymptomata, utpote intumeſcentia univerſi corporis, aut ſaltem abdominis & pedum, cum tabe nonnunquam medii ventis & artuum ſuperiorum, vultus pallore, tuſſi aſthmate ſiti intolerabili ac ſimilibus ſimul obſervantur, ex his ipſis judicatur, quod hydropicus tumor ſit. In ſpecie Aſcites exinde agnoſcitur, quod thorax quidem exſiccetur, & contabeſcat, abdomen autem intumeſcat & elevetur, umbilicus promineat, inque acumen deſinat, qui alias in ſcrobiculô quôdam abdominis ferè deliteſcebat, & ægri ipſi, quando ſe movent, ſonum fluctuantis intus aquæ percipiant.

§. *XVII.*

Intereà in œdematoſis ejusmodi tumoribus nec æſtus nec dolor, niſi quandoque diſtendens ſentitur, contra ac fit in Eryſipelate atque aliis inflammationibus; Porro autem hydropici tumores impreſſas digitis foveas aliquandiu retinent, & quanto diutius retinent, tanto pejores.

§. *XVIII.*

Obvenit verò etiam porro hydrops, ſenſibus minus expoſitus, ideoque occultus dicendus, qualis eſt primò Hydrocephalus internus, cùm ventriculi cerebri aquâ explentur, adeoque turgent & extenduntur, ut

ut aliquando cerebrum penitus deeſſe, vel in aquam fuiſſe mutatum poſt mortem inſpicientibus viſum fuerit. Huc quoque pertinet hydrops thoracis, pericardii, uteri, ovarii muliebris, &c. quæ genera hydropis licet ſat crebro occurrant: difficulter tamen dignoſcuntur, & plerumque demum poſt mortem ſectione anatomica patefiunt. Attamen præter ſigna generalia, quæ unicuique hydropi communia ſunt, pauca quædam inveniuntur ſpecialia. Ita in hydrocephalo dolor gravativus capitis & ſtupor omnium ſenſuum notatur. Hydrops thoracis diſpnœa, lipothymiis, ſonoque aquæ cognoſcitur, quem ægri in pectore ſentiunt. Hydrops uteri ex tumore fundum ventris præcipuè occupante, dolore in regione hypogaſtrica tenſivo, aquæ fluctuantis ſenſu & aliis ſignis à Riverio *Prax. Med. lib. XV. c. XII.* recenſitis accuratè diſcernendis dijudicatur. Occurrit verò inſuper utero prorſus vacuo aquam in tubis colligi, ſicuti annotavit Theoph. Bonetus *Sepulchreti ſive Anatom-practicæ Lib. III. Sect. XXI. Obſ. LVI. p. 1137.*

§. *XIX.*

Quoad prognoſin in genere ſciendum, omnem hydropem, quamvis is levior videatur, præſertim autem inveteratum, ubi cauſa morbifica altius egit radices, periculoſum eſſe morbum. Potiſſimum autem Practici vires tam naturales quàm vitales reſpicere jubent, quas ſi omnino fractas vident, vix ſalutis ſpem ſupereſſe pronunciant. Hisce enim viribus morbi ſunt debellandi, nec iis deficientibus medicamenta inde actuationem debitam expectantia quicquam præſtare poterunt. Mala præterea ſigna habentur, ſi ſupra enar-

enárrata ſymptomata augeantur & cumulentur, uti diſpnœa, febris, tabes, tuſſis, de quorum ultimo *Hippocrates Lib. VI. Aphor. 35.* dicit: Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσιν βὴξ ἐπιγινομένη, κακόν. Ubi tamen tuſſis intelligenda, quæ immediatè ex hydrope, non autem, quæ ex catarrho, fumo aut pulvere, aut cauſa alia evidente ſolitariâ exoritur.

§. *XX.*

Quamvis verò dirus morbus ſit hydrops, lethalis tamen ſemper non eſt. Obſervatum enim pluries eſt hydropicos pro deploratis habitos decenti methodo tractatos, imo interdum nullô adhibitô medicamentô ſanitatem priſtinam recuperaſſe. Hinc non deſperandum ſtatim, licet æger ſit jam ſenex, modo vires non penitus ſint proſtratæ, & viſcera nondum corrupta. Tanto facilius quoque remediis diæteticis & pharmacevticis ſuperatur hydrops; quanto pauciora & mitiora deprehenduntur ſymptomata ſupra recenſita. *Celſus lib. 3. cap. 21.* jubet tâm potum quàm urinam hydropici metiri, & quod ſi quantitas urinæ quantitatem potus ſuperet, bonam ſpem ſanitatis recuperandæ ſupereſſe perhibet.

§. *XXI.*

Sed Theoretica parte nunc abſoluta, ad partem quoque practicam me convertam. Remedia, quibus incendia uniuscujusque morbi extingvuntur, ex tribus fontibus, videlicet Chirurgiâ, Pharmaciâ & Diætâ hauſturus. Offert ſe ergo primum inciſio abdominis, quæ Paracenteſis vocatur. Itaque jure quæritur, ſitne in Aſciticis tentanda? Antiquiores Medici plerique omnes paracenteſin hanc approbant, inter quos eminet *Hippocrates*,

pocrates, *lib. de locis in homine XXXVI. 17. ſeqq. lib. de affectibus XXIII. 25. ſeqq. lib. de internis affectibus XXV. XXVI. ſeqq. l. 6. Aph. 27. l. 6. Epid. S. 7. n. 62.* licet vocabulum παρακεντήσεως in illis locis non occurrat, uti ſolertisſime annotavit Rector Univerſitatis Magnificus Vir Prænobiliſſ. Excell. & Experientisſimus Dn. D. Jacob. Pancratius Bruno, Facultatis Medicæ & totius Univerſitatis Senior venerandus, ac Archiater Norimbergenſis celeberrimus, Patronus & Promotor Studiorum meorum ſumme colendus in Lexico ſuo Medico p. 667. Paracentheſin etiam ſvadent *Celſus*, *Aëtius*, *Mercurialis & alii*: Ad confirmandam autem ſententiam ſuam experientiam & hoc argumentum adducunt. Dicunt nempe in ventre tantam aquæ copiam ſæpius colligi, quæ nullo medicamento poſſit evacuari; cùm autem morbus non prius ſanari poſſit, priusquam aqua evacuetur ſecundum *Celſum*, perperam omitti paracenteſin, qua videlicet unicè abundans ſerum ſufficienter educi & hoc modo ægro conſuli posſit. Præcipiunt tamen, ut cum cautione fiat, nempè, quando brevi tempore ad inſignem magnitudinem pervenit tumor, priusquam materia putreſcat, febris accedat, ac vires infirmentur. Cavendum quoque monent, ne unâ vice omnis effundatur humor. Hoc enim extra dubium eſt, quod ægrorum unà cum aquâ anima effluat, juxta *Hippocratis* ſententiam *lib. 6. aph. 27.* Ὁκόσοι ἔμπυοι ἢ ὑδρωπικοὶ καίονται, ἢ τέμνονται, ἐκρυέντος τοῦ πύου ἢ τοῦ ὕδατος ἀθρόου, πάντως ἀπόλλυνται. Hoc eſt: *Quicunque empyi aut hydropici uruntur vel ſecantur, ſi pus aut aqua confertim effluxerit, omnino moriuntur.* Hic aphoriſmus multorum obſervationibus probatur.

C Vid.

Vid. Fel. Plater. l. 3. obſ. med. tit. de Extuberant. Schenck. lib. 3. obſerv. med. de hydrope aliiq;.

§. XXII.

Neque tamen hæ cautelæ, teſte eventu, ſemper ex voto ſuccedunt, ut ideo multi inveniantur Doctores, qui omnem paracenteſin in aſcite ut periculoſam rejiciunt, inter quos eſt antiquus Medicus Eraſiſtratus, qui ſequentibus rationibus prædictam operationem chirurgicam improbat: nempe 1) quia cum effluente aquâ ſimul quoque ſpiritus exeunt, 2) evacuatâ aquâ hepar, diaphragma & pulmones deorſum trahuntur, ex quô tuſſis ſicca & dyſpnœa oriuntur, quæ ſymptomata hydropicis valdè periculoſa ſunt, 3) ſubſtantia Peritonæi non ſine periculô inciditur. *Helmontius* quoque *in tr. de febrib. cap. 7. Num. 3. &* alibi: *Sydenham tr. de hydrop. p. 98.* eam impugnant. Quibus ego conſentiens fateor libere, quod potius horum, quam illorum partibus accedam, & proinde non facilè hydropico paracenteſin ſuadere auſim. Exempla enim eorum, qui exinde optatam ſanitatem conſecuti ſunt, oppido rara ſunt, & hic quoque valet illud tritum, una hirundo non facit ver. Quis ergo tàm incerto remedio, quod quidem uni alterive non nocuit, multis tamen aliis mortem procuravit, fidat? Præterea aqua quidem educitur, brevi tempore autem rurſus colligitur, quia rupta aut eroſa vaſa lymphatica neutiquam conſolidata ſunt, adeoque ex aperto adhuc fonte nova propullulat aqua. Nec eſt, ut quis excipiat, paracentheſin mox in principio mali inſtituendam eſſe, priusquam viſcera labem patiantur, nam reſpondere paratus ſum, tunc mitiora ſuppetere remedia, & aquam

per

per alias vias educi poſſe, ita & ut non opus ſit pericu-loſæ tentare opus plenum aleæ.

§. XXIII.

Sed inquirendum porrò erit, utrum in hydrope anaſarcâ & œdemate tumor ſcarificandus ſit, ut aqua effluere poſſit? Breviter dicam, me idem, quod de paracenteſi ſtatui, de ſcarificatione quoque ſentire. Quanquam enim ægri ab initiô ex ſcarificatione levamen percipiunt, dum tumor ac dolor diſtendens notabiliter remittunt; hoc tamen gaudium diuturnum haud eſt. Nam poſt paucos dies dolores largo cum fœnore redeunt, atque adeo creſcunt, ut ægri potius mori, quàm vivere optent, cujus & voti paulo poſt damnantur. Pars enim ſcarificata gangræna enecatur, quâ ipsâ & & homo vitâ ſpoliatur. Hoc illi mulieri, cujus in §. 9. mentionem fecimus, obtigit. Anicula enim illam perſuaſerat, ut ſcarificari pedem ſibi pateretur, quo peracto tumor quidem ſenſibiliter remittebat; attamen paucis poſtea diebus gangræna partem ſcarificatam occupabat, quare infandos paſſa dolores ex miſera vitâ demigrabat. Et ſane *Proſper Alpinus*, qui paracenteſin & ſcarificationem approbare videtur, nihilominus fatetur, ſectione quâdam prope talos in Ægyptô familiari *multos inſigni ventris tumore omnino curatos, ulceribus tamen ac pedibus ipſis in gangrænam verſis obiiſſe Medic. Ægypt. cap. 13.*

§. XXIV.

Cæterum etiamſi venæſectio in multis aliis morbis tanquam generoſum remedium multum efficere

 valeat,

valeat, non tamen video, quo modo in morbô hôc ex aliquâ parte prodeſſe poſſit. Licet enim pauxillum ſeri cruenti (tale enim ſanguis hydropicorum eſt) ex pertusâ venâ effluat; hoc tamen ut nihil æſtimandum foret reſpectu ejus, quod in corpore relinquitur, quin imo reſiduæ vires & ſpiritus per Venæ ſectionem penitus educerentur & exhaurirentur, ac ægro mors promoveretur.

§. *XXV.*

In chirurgiâ itaque nulla præſidia tuta & proficua contra hunc morbum invenimus; Pharmacia tamen & Diæta tanto plura ac meliora ſuppeditant. Primo enim Pharmaca adſunt, quæ per vomitum & alvum evacuant. Poſteriora ab antiquis præcipuè in quatuor claſſes dividuntur, ac nominantur, Cholagoga, Melanogoga, Phlegmagoga & Hydragoga, bina poſteriora hic optima ſunt. Talia ſunt, herb. gratiolæ, folia & cortices ſambuci, radix turpethi, hellebori nigri, hermodactyli, jalappæ, eſulæ, elaterium, gummi ammoniacum, extr. trochiſcor. alhandal, Mercur. dulc. & plura. *Bontius in Medicin. Ind. lib. 3. c. 9.* laudat extractum ſuum Guttæ Gambodiæ, quod ita præparatur: ℞. *Aloës Socotorinæ, Guttæ Gambodiæ, gummi ammoniac. ana partes æquales. Aceto vini acerrimo diſſolvantur, ponantur in vaſe vitreô ad ſolem, fortiterq; colatum exponatur rurſus, donec contraxerit conſiſtentiam maſſæ pilularum, quarum doſis eſt à ℈ß ad ℈j.* Objiciat verò fortaſsè hîc quiſpiam, quod quamvis aqua copiosè evacuetur, cura tamen tantummodo palliativa ſit juxta *Helmontii* verba *tr. aditus præcluſus ad condum viſcerum* ſequentia: *Seroſitates hydropis*

non rarò abiguntur, per hydrocathartica, ipſis ſolutivis adhuc intra ſtomachum tantiſper morantibus. Sed mox repetit idem hydrops. Ad quod reſpondemus concedendo, rem omnino ſæpius ita ſe habere, quare ulteriùs notandum, purgantibus acquieſcendum ſolitariê non eſſe, ſed quoque talia hydrocathartica eligenda, quæ vi ſimul diureticâ gaudent, ut ſunt radix bryoniæ, ſuccus ireos noſtratis, flores perſici & geniſtæ, pilulæ ex argentô, quas *Boyle in tr. de uſu Philoſoph. experim. in medic.* deſcribit & valdè commendat.

§. *XXVI.*

Vomitoria hîc ſcopum non ſemper conſequuntur ſuum, ut aliàs; ſed purgant ſæpius ſolum; attamen non contemnendus eorum uſus, quia hydragoga, ut fortius operentur, illis ſtimulari poſſunt. Itaque Mercur. dulc. una cum Mercur. vitæ aliisve antimonialibus præſcriptus, medicamentum eſt, quod & phlegma viſcidum attenuat, & in copiâ educit.

§. *XXVII.*

Quoniam autem glandulæ cutaneæ craſſa pituitâ plerumque ſunt obſtructæ, mirum non eſt, inſenſibilem tranſpirationem & ſudorem inhiberi. Ut ergo aperiantur glandulæ, medicamenta quoq; ſudorifera uſurpanda, ſalia ſcilicet volatilia, & ſpiritus ſalis Ammon. urinæ, ſanguinis humani, lignum ſaſſafras, Guajacum ejusque cortex, radix ſarſæparillæ & chinæ, *vid. Jacob. Bontii in Indiis Archiatri de medicina Indorum lib. 3. cap. 9. p. 27.* Laudatur etiam vincetoxicum, quod potenter ſudorem movet, quando alia ſudorifera nil valent.

§. XXVIII.

Diuretica interea ſunt præſtantiſſima & ferè totam curam abſolvunt. Quamdiu enim cauſa morbifica, obſtructio nempe, in tubulis renum & cæterarum glandularum poris hæret, tamdiu nulla ſpes eſt de reconvaleſcentia ægri. Jam autem diuretica aperiunt, urinam cient, cumque ea varias ſordes educunt. Hinc nitro utimur probè depurato, nitro antimoniato, nitro nitrato, ſale prunellæ, cujus ſolius uſu curatum fuiſſe hydropicum ſpatio unius menſis conſtat ex *obſ. River. pag. 689.* Adhibemus etiam cum fructu arcanum tartari & duplicatum, tartarum nitratum, linariam, hederam terreſtrem, abſinthium, baccas juniperi, trifolium fibrinum, quod arcani loco non in ſcorbuto, ſed & hydrope ſe habere fatetur *Joh. Franc. tr. de Trifol. Fibr. pag. 28.* fructus alkekengi & cynosbati, allium, de quo vid. *Sydenham de Hydr.* radicem ruſci, millepedes & cantharides, quæ poſteriores commendatæ ab *Hippocrate lib. de rat. vict. in acut. ſect. 4.* non niſi cum judicio & in minori doſi internè ſunt uſurpandæ. Laudat *Sydenham tr. de Hydr. pag. 92.* cineres geniſtæ: *ego*, inquit, *cinerum hujus* ℔j. *in vini Rhenani* ℔jv. *frigidè infundi jubeo, addendo folia abſinthii vulgaris pugillum unum alterumve. Liquoris colati per filtrationem* ℥jv. *manè hora quinta pomeridiana, & ſero ægro jugiter hauriendas impero usque dum tumor evanuerit. Quo ſolo remedio hydropes pro deploratis habitos curatos vidi, in iis, quorum craſis debilior purgantibus ferendis non fuit.* Porro & ipſa ſalia fixa anonidis, geniſtæ, dipſaci, abſinthii, &c. præſcribimus. Spiritum ſalis ammoniaci aniſatum in Collegio privato à Viro

Præno-

Prænobil. Excell. & Experientiſſimo Dn. Joh. Ludov. Apino, Med. Doctore, Phyſiologiæ & Chirurgiæ Prof. Publ. celebratiſſimo, Sereniſſ. Principis Palatino-Solisbacenſis Archiatro, Domino Fautore & Præceptore meo colendiſſimo ſingulariter laudatum grata mente recordor. His enim ſimul acidum abſorbetur, quod in hydropicis ſæpius enormiter peccat. Eam quoque ob cauſam limatura chalybis ſumma cum utilitate adhibetur. Similiter lapis fulminaris, opercula cochlearum & alia duriora & lapidea remediis hic ſalutaribus annumerari merentur. Dum enim talia ab acido primarum viarum ſolvuntur, cum acido in ſalſum abeunt, & cum ſanguine ad renes translata vim diureticum exerunt.

§. XXIX.

Quod narcotica & opiata, præſertim præſentibus doloribus, aliquid poſſint, probat obſervatio quædam *Williſii Pharmacevtic. rational. ſeu tr. de Medicam. operat. part. 1. ſect. 7. cap. 1. p. 186.* Hic enim hydropico cuidam, quem pro deplorato habuit, permiſit εὐθανασίας gratia laudani ſui uſum crebriorem. Æger autem augens indies ejusdem doſin non modo non occubuit, ſed etiam hoc pharmaco uſus conſtanter indies melius habuit, ac intra menſis ſpatium in tantum convaluit, ut tumore omni & doloribus immunis factus, ſtomacho valeret, & foras obambularet. Opiata enim propter ſtupefaciendi vim, qua dolores & hinc oriundos ſpaſmos tollunt, virtute quoque prædita ſunt ſudorifera. Hinc in illo ægro aſſiduo opiati uſu ſitis, quæ antea multum urgebat, ceſſabat; & quaque nocte in

ſudo-

ſudorem magnum diſſolutus inſuper & urinam copioſam excernebat.

§. XXX.

Externè partibus œdematoſis varia diſcutientia applicari poſſunt, e. g. abſinthium, folia vincetoxici, ſambuci, ebuli, aqua ſalſa, aqua fabrorum ferrariorum cum herbis ſale volatili aromatico oleoſo præditis decocta, ab Excell. Dn. D. Hoffmanno feliciter ſæpius adhibita, item olea deſtillata ex oleô olivarum, cerâ, ſapone, cuminô, &c. Autores quidam commendant bufones vivos utrinque renibus alligatos, qui ſolvant hydropem per lotium. *Helmontius*, inquit, *vidi hydropicum ſanatum alligata anguium ſenecta per ventrem & renes*, in *Tr. Hydr. ignot. Num. 36.*

§. XXXI.

Præ aliis omnibus autem ſtricta diæta eſt obſervanda. Nam ſine illa hic morbus vix perſanari poteſt. Hinc *Celſus* bene dicit, quod hydrops facilius in ſervis, quam liberis curari poſſit, quia illi magis cogi poſſunt, quàm hi, quibus in hôc paſſu maximè noxia eſt libertas. Hoc ipſum exemplo amici Regis Antigoni confirmat. Verba ipſa huc transferam: *Noi ignobilis medicus Chryſippi diſcipulus apud Antigonum Regem amicum quendam ejus notæ intemperantiæ, me diocriter eo morbo implicitum, negavit poſſe ſanari. Cum alter medicus Epirotes Philippus ſe ſanaturum pol liceretur, reſpondit, illum ad morbum ægri reſpicere, ad animum. Neque eum res fefellit. Ille enim cum ſum mâ diligentiâ, non medici tantummodo, ſed regis quoqu*

cuſt

cuſtodiretur , tamen malagmata ſua devorando bibendoq; ſuam urinam ſe præcipitavit. Æger ergo , quantum poſſibile , moveat ſeſe ac ſudorem provocet , quod aptè in balneô Laconicó fieri poteſt. Non plus bibat, quàm ad conſervationem vitæ neceſſarium eſt , potus autem ſimul vires diureticas habeat. Commendetur itaque cereviſia abſinthiô , centauriô minori, cochleariâ, ſummitatibus geniſtæ &c. condita. Svadet quoque *Sydenham* potum moderatum vini generoſi, modo ſit diureticum , & meatus quadantenus recluſi fuerint , & porta aquis data. Habet enim vinum inſignem vim roborandi ſtomachum & juvandi digeſtionem , qua ſalva nulla amplius metuenda cacochymia & hinc oriunda cachexia hydropsque. Tandem , in quo plurimum ſitum eſt , dominetur æger affectibus & animi pathematibus , non autem ſe iis ſubjiciat , i.e. ſit patiens , manſvetus, hilariq; ac bono animo.

SOLI DEO GLORIA.

PArentis integerrimi,
Fratrumq́; noſtris in Scholis
Notisſimorum, & publico
Inſervientium foro,
Veſtigium inclytum legens
SCHWARTZI, mereris elogî,
Palæocome qvod tulit,
Punctum. Supernè id ſoſpitet,
Qvod gratioſus deſtinat
Apollo præmium, Deus,
Teq́; auſpicatum Misnicis
Det urbibus Machaonem!

Ita Nobiliſſimo DOMINO DOCTORANDO
gratulabundus accinit
CHRISTOPHORUS Sonntag/
SS. Theol. D. & Prof. primar.

VEnter aquis tumidus, ſpem ægri curamq́; medendi
Sæpius eludens Te vocat in cathedram.
Ingenii intendas vires, pellasq́; tumorem
Albæ gallinæ filius usq́; ſies;
Poſthac eveniant albo ſignanda lapillo
Tempora, SCHWARZE, *Tibi mente manuq́; precor;*
Qvæ pietas, recti mores, ſolertia pernix
Certo promittunt ætheris auſpicio!

Ita *Nobiliſſ.* DN. CANDIDATO Fautori & Inquilino
ſuo honoratiſſimo bono omine plenus
acclamat
JOH. MAURIC. HOFFMANN. D.
Conſiliarius & Archiater Ducalis Onoldo-
Brandenburgicus, in hac Univerſitate
Medicinæ Prof. Publ.

Aſcen-

A Scendis cathedram, laudandum mentis acumen
Omnibus oſtendens, qvi tua ſcripta legunt;
Hæc etenim monſtrant, tumidus qvî venter ab unda
Qvo plus ſit potæ, plus ſitiantur aquæ.
Proſpera qvæq; precor, ſint hæc Tibi primus honoris,
Qvem certo tribuet pagina docta gradus.

Pauca hæcce Nobiliſſimo atque Doctiſſimo DOMINO DOCTORANDO, *Amico ſuo familiari properante calamo appoſuit, & gratulabundus Norihergâ tranſmiſit*

GEORG. HIERON. ROESER, M. D.

PRima qvidem, ſi mens quorundam vera ſophorum,
Materies mundi decolor unda fuit.
Semina prima tulit maſſae circumfluus humor
Et reliquae, facies, qvam gravis orbis habet.
Attamen, ut fuerit molis naſcentis origo,
Multarum rerum tum qvoqve finis erat.
Sic ubi laxabat Numen ſua fontibus ora,
Et madidis alis flabat ubiqve Notus:
En primos homines immenſa licentia ponti
Obruit, & miſeros praepete morte rapit.
Sic homo, qvi parvus mundus, deperditur undis
Saepius, ac iſtis ultima fata trahit.
Naſcitur hinc praecox hydrops, hinc mortis imago
Lurida, morborum pulverulenta cohors.
Doris amara ſuas hinc miſcet ſaepius undas
Quæ noſtrum pectus membraqve noſtra premunt.
At bona jam ſpero, cum Tu mele temate docto
Hydropis doceas monſtra, ferumqve malum.
Paucior & poſt hæc hominum miſcebitur umbris
Pars, hoc amnifero, credo, tumore, ſuis.
Gratulor hoc ſpecimen Tibi felix, ſurgat in iſto
Ales candidior, candidiorqve lapis.

Et

Et Tuus hic hydrops, qvem jam per pulpita ſpargis,
Sit Tibi origo boni, ſit Tibi meta mali.

His inconditis verſiculis adprobat *Prænob.* DN. LICENT. honores
M. JOHAN. MICHAEL Sonntag
Alum. Nor. & Oecon. Inſp.

Hochwehrter / iſts erlaubt / daß wir uns hie
erkühnen
Zu ſchreiben dieſe Wort / aus treuer Freundſchaffte
Pflicht;
So ſoll diß billig Dir zu ſtetem Lobe dienen /
Was Fama hoch erhebt / und dein Fleiß hat verrich
Es liegen an dem Tag die Früchte vom Bemühen /
Die Du durch Sorg und Schweiß nunmehr erlan
get ſchon:
Was könte man hieraus wol andern Nutzen ziehen /
Als was den Fleiß bekrönt / und zeigt den Ehren-Lohn
Die Kunſt und Trefflichkeit / ſo Du hier haſt empfangen,
Gibt ſchwachen Menſchen Raht / und ſtört Morbo
nens Reich;
Ja / die Geſchicklichkeit muß gar dahin gelangen /
Daß / als ein kluger Artzt / Du ſeyſt Machaon gleic
Nun wirſt Du mehr und mehr eröffnen durch Dein Wiſſe
Wie ein erfahrner Artzt unſterblich werden mag /
Erweiſe recht zu thun / ſey dem hinfort befliſſen /
Was Menſchen Heil gebiert / und Wolfahrt leg an Ta
Es ſey beglücket ſtets Dein Thun auf allen Seiten;
Es laß der Groſſe GOtt Dein Weſen glücklich geh
Wir werden Deinen Ruhm je mehr und mehr ausbreite
Der biß zur Nachwelt ſoll in ſtetem Dencken ſtehn

Mit dieſen Wenigen wolten des Hochgeehrten Herrn DOCTO-
RANDI gelehrte Schrifft ſchuldigſt beehren / and zu deſſen
geneigteſten Angedencken hierdurch ſich *de Meliori recommen-*
diren / Deſſen bisshero geweſene gute Freunde und Diener
Ihr Excell. Herrn D. Hildebrands Tiſch-Compagnie